

## AENEIDOS XII

nec quo se eripiat, nec qua vi tendat in hostem,  
nec currus usquam videt aurigamve sororem.

Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,  
sortitus fortunam oculis, et corpore toto                    920  
eminus intorquet. murali concita numquam  
tormento sic saxa fremunt nec fulmine tanti  
dissultant crepitus. volat atri turbinis instar  
exitium dirum hasta ferens orasque recludit  
loricae et clipei extremos septemplicis orbis :            925  
per medium stridens transit femur. incidunt ictus  
ingens ad terram duplicato poplite Turnus.  
consurgunt gemitu Rutuli totusque remugit  
mons circum et vocem late nemora alta remittunt.  
ille humilis supplexque oculos dextramque precantem    930  
protendens ‘equidem merui nec deprecor’ inquit ;  
‘utere sorte tua. miseri te si qua parentis  
tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis  
Anchises genitor) Dauni miserere senectae  
et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,  
redde meis. vicisti et victum tendere palmas            935  
Ausonii videre ; tua est Lavinia coniunx,  
ulterius ne tende odiis.’ stetit acer in armis  
Aeneas volvens oculos dextramque repressit ;  
et iam iamque magis cunctantem flectere sermo            940  
cooperat, infelix umero cum apparuit alto  
balteus et notis fulserunt cingula bullis  
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus  
straverat atque umeris inimicum insigne gerebat.  
ille, oculis postquam saevi monimenta doloris            945  
exuviasque hausit, furiis accensus et ira  
terribilis : ‘tune hinc spoliis indute meorum

P 917-938 MPR; 939 947 MP      918 -ve] -que Rγb      922 tanto  
930 supplex oculos P Rγ<sup>2</sup>

